

bant seu^o provenire poterant de bonis obligatis de illis annis. Et quidquid inde proveniebat per capitulum reservabatur ad exponendum pro censu annuo et pro debitis nondum exsolutis de prebendis seu aliis pertinentibus ad rationem talium usuum. Sed quod illis annis plene dabatur vicario episcopi Johanni Hasen et quatuor lectoribus et campanariis seu officiatis videlicet ultra porcionem seu quotam, quam habebant premissis consideratis in fructibus redditibus seu censu prepositure, hoc fiebat de gracia prelatorum et aliorum de capitulo et ipsius capituli. Servicia eciam magna de prepositura solita ministrari perfecte ministrabantur illis annis scientibus et non contradicentibus prelatis et aliis ac eciam illis ratum postea habentibus.

Item attende, quod aliquo tempore dicti Nicolai prepositi fuit computacio¹⁾ facta capitulo talis, quod ea ostendebantur, que estimatis ad argentum fructibus et proventibus allodiorum et decimarum et villicacionum ac aliorum bonorum prepositure pro debitis capituli obligatorum et censu annuo, qui eciam propter debita capituli in argento solvebatur, et ultra hoc computatis ministratis per eundem prepositum satis videbatur apparere, quod, si bona non fuissent obligata et census pro debitis non fuisset exsolutus, predictis simul computatis potuissent fuisse prebende omnis eciam quinquaginta integraliter ministrate, quia tunc penitus nulla bona devastata prepositure fuerunt et fuerat satis fertilis annus.

Item temporibus dicti Nicolai prepositi quoddam statutum fuit factum per capitulum videlicet de anno domini MCCCLIX^o, cuius tenor est talis:

Nos dei gracia Nicolaus prepositus Vulradus decanus Otto scolasticus totumque capitulum ecclesie Hildensemensis utilitatem ecclesie nostre communem desiderabiliter ut tenemur affectantes statuimus unanimi con-

¹⁾ Rechnung vom August 1361. Copialbuch des Domcapitels. p. 674.